

IV) Ne moerentem atque desolatum filium relinquat Pastor caritas suadet, corporis medicorum ad instar qui, postquam igni ferroque usi sunt, aegrotum non dimittunt, sed magis curant atque custodiunt; utque de inlatis vulneribus convalescat eum adiuvant, de acceptis iniuriis solantur, et ad infirmas reficiendas vires adiuvant. Enim vero *si est lingua curationis, est et mitigationis*<sup>1</sup> ac consolationis, qua non modo secantur vulnera, verum etiam [boni Samaritani ad instar] obligantur, quo illud Prophetae impletur: *Cum animam afflictam repleveris..., orietur in tenebris lux, et tenebrae erunt sicut meridies*<sup>2</sup>. Idcirco:

1) Pastor ignoscat, obliviscatur reddatque subdito gratiam, ut Deus agere solet qui delictorum per poenitentiam peccatorum se non recordaturum amplius, et proiecturum in profundum maris omnia peccata nostra pollicetur. Et *poenitentibus, enim, dedit [Deus] viam iustitiae..., et destinavit illis sortem veritatis*<sup>3</sup>.

2) Condignam post poenitentiam, sua in gratia rerum redintegret. Non, enim, *solum tormenta habet Deus, sunt in eo etiam refrigera*<sup>4</sup> qui per Psalmistam profitetur: *cor contritum et humiliatum non despicio*<sup>5</sup>. *Ubi, enim, plus laboris, ibi et plus emolumentum*<sup>6</sup>, et omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur qui condolere possit his qui ignorant et errant<sup>7</sup>. Pastor, igitur, bonus, dum ne semel opinionem malam de fidei conceptam semper retinere cavet [una, enim, hirundo non facit ver], *nemo sit quem iacentem non erigat, quem lugentem non consolet*<sup>8</sup>. Quid Manasse deterius, qui Deum tutorem propitiumque habere potuit? Quid Matthaeo miserius, qui electus est Apostolus? Quid Petro sacrilegius, qui Ecclesiae caput constitutus est? Quid Paulo blasphemius, qui evangelii prece promulgatus est? Pastor, igitur, bonus *tamquam avis quae transvolat in aere nullum invenitur argumentum itineris*<sup>9</sup>, postquam reum corripuerit ac sese humiliter emendaverit [prudenter legibus servatis] fere nullum suo in paterno pectore transactae culpaestigium retineat, et si retinet non ad filii detrimentum, sed ad eius adiumentum ipse utatur. Hac ratione grave illud cuidam Praelato monumentum a D. Gregorio dictum haud ipse merebitur: *Nos ad gemitos cogit quosdam nostri ordinis viros intueri qui, sacerdotali officio praediti..., peccatores dedignantur, eisque compati nolunt, ac, veluti Pharisei more, a peccatrice,*

<sup>1</sup> Prov. XXII, 20.

<sup>2</sup> Isaia, LVIII, 10.

<sup>3</sup> Ecclts. XVII, 30.

<sup>4</sup> Origenes, Homil. I. in Ezech.

<sup>5</sup> Psalm. XIX.

<sup>6</sup> S. Ambros. in Ezech. Cap. 3.

<sup>7</sup> Ad Hebr. V, 2.

<sup>8</sup> Pius PP. X, Encycl. *Iucunda sane*,

<sup>4</sup> mart. 1904.

<sup>9</sup> Cap. V, 11.

*tangi despiciunt*<sup>1</sup>. Sancta, igitur, et numquam satis laudanda caritas adeo triumphum agat ut, *ministrando in patientia, in amore fraternitatis, in veritate non ficta*<sup>2</sup>, quae divina sunt emolumenta heic quoque tantum insectemus.

### § VI. — Divini Correctoris effigies.

SUMMAE RERUM. — 148. Animadversiones praeviae. — 149. De divino in peccatores materno studio. — 150. De divina in re pietate ac misericordia. — 151. Quae in correctione Servatoris Nostri sancta exempla sint. — 152. Conclusio.

148. — Conclusionis ergo quae in correctione a Deo ac Servatore Nostro servata sint modos ac rationes recolemus, ut eorum exempla sequendo, non humanis, sed divinis in re Pastores ducantur argumentis, quibus, sanando at minime lacerando, dilectos filios ad bonam frugem deducant. *Redemptor, enim, Noster per mortale corpus omne quod egit, hoc nobis in exemplum actionis praebuit, ut, pro nostrarum virium modulo, eius vestigia sequentes, inoffenso pede, operis praesentis vitae capiamus viam*<sup>3</sup>. At Deus materno amore in reum utitur, cum punit misericordia iustitiam temperat, patienter attendit, veniam cito dat, et de rei emendatione gaudet: quae omnia et Servator Noster in se ipso conspicuo exhibuit exemplo.

149. Materno studio in reum Deus utitur; eminvero *quis sufficit enarrare opera illius..., virtutem magnitudinis eius quis enuntiavit? Quis adiiciet enarrare misericordias eius?* Peccantes, enim, etsi reos, filios tamen esse vult, quorum numquam obliviscitur: *numquid oblivisci potest mulier infantem suum? Etsi illa oblita fuerit, non ego*<sup>6</sup>. Peccatores ad bonam frugem sese recipientes, semper paratus excipit: *expandi manus mea tota die ad populum incredulum qui graditur in via non bona*<sup>7</sup>: *qui dicunt: recede a me, non appropinques mihi quia immundus es, isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die*<sup>8</sup>. — Peccatorem ut praedilectum habet: *ad quem respiciam nisi ad pauperculum et contritum spiritu*<sup>8</sup>; eum solatur pie: *Ad ubera portamini et super genua blandientur vobis, quomodo si cui mater blandiatur ita ego consolabor vos*<sup>9</sup>.

<sup>1</sup> Homiliar. in Evangel. Lib. II, hom. 33.

<sup>2</sup> Petr. I, 22.

<sup>3</sup> S. Gregor. Magn. Dialog. Lib. I, Cap. 9.

<sup>4</sup> Eccles. XVIII, 2.

<sup>5</sup> Isaia, XLIX, 13.

<sup>6</sup> Id. LXV, 2.

<sup>7</sup> Id. 5.

<sup>8</sup> Id. LXVI, 2.

<sup>9</sup> Id. LXVI, 12.

150. — Cum Deus punit eius misericordia cum iustitia pugnat, ut et Psalmista cecinit: *Dedisti metuentibus te significationem ut fugiant a facie arcus*<sup>1</sup>; in quibus verbis iustitiam in arcu, misericordiam in monitione D. Chrysostomus effingit, quae in puniendo ad invicem pugnant. Enimvero *non impedit iustitiam misericordia, quia misericordia ipsa est iustitia*<sup>2</sup>. Profecto cum delinquit homo, coelum et terram, elementa omnia et creaturae omnes in eum qui Deum laesit adeo magnam ultionem expetunt, ut in eum iustitiae sagittas iam immittat: Angeli dicunt: *quare maledicit canis hic mortuus Domino meo regi? Vadam et amputabo caput eius*<sup>3</sup>. At misericordia benigne occurrit, et tempus emendationi impetrat, veniae viam aperit et peccantem una tuetur. — Cum antiquorum Patrum auferre culpas voluerit Deus centum per annos eis minatus est: cumque Ninivem punire statuit, posteaquam diu eius *in cinere et cilicio*<sup>4</sup> ad conversionem reditum expectaret, sententiam in eam tulit. Multis pariter ante saeculis electo sibi populo flagella praedixit; multos interea ad eos prophetas misit qui ad poenitentiam eum provocarent, Ipsunque Unigenitum qui triginta per annos eum ad emendationem hortaretur. *Speciosa misericordia Dei quasi nubes pluviae in tempore siccitatis*<sup>5</sup>; *praebe filii mi cor tuum mihi*<sup>6</sup>, ultio Dei et Corde Divino vere digna haec est, qui amore in eos languit. Homines deliciae Eius sunt, inter quos morari gaudet: *Deliciae meae esse cum filiis hominum*<sup>7</sup>: patienter diligit, amor, enim, magnanimus in diligendo exsultat: *ecce sto ad ostium et pulso*<sup>8</sup>, et ut sui cordis peccator aperiat ianuas instat, eius malum deflet, atque miseretur et pulsando arguit, quousque cor durum patuerit. Tunc sua ei brachia suaviter ac diu paterne pandit, eum amplexatur, blanditur, eique veniam dat, gratiae suae participem facit, ac tot tantisque cumulat donis ut ipsi Angeli invident illi. — *Tu autem Deus Noster suavis et verus es, patiens, et in misericordia disponens omnia*<sup>9</sup>.

151. — Neque Servator Noster sua in mortali peregrinatione secus egit qui, *in mundo veniens, vasa irae fecit vasa misericordiae, et omnibus ad se venientibus, pietatis suae sinum aperuit*<sup>10</sup>. Ipse, enim, est *Agnus qui tollit peccata mundi*<sup>11</sup>, *bonus Pastor qui animam suam dat*

<sup>1</sup> Psal. LIX, 6.

<sup>2</sup> S. Ambrosius *De Obi. Theodos.*

<sup>3</sup> II Reg. XVI, 9.

<sup>4</sup> Math. XI, 21.

<sup>5</sup> Eccl. XXXV, 26.

<sup>6</sup> Prov. XXIII, 26.

<sup>7</sup> Id. VIII, 31.

<sup>8</sup> Apocalyps. III, 20.

<sup>9</sup> Sap. XV, 1.

<sup>10</sup> S. Gregor. Magn. *in Sept. Psal. Poenit. Psal. 5.*

<sup>11</sup> Ioann. I, 29.

*pro ovibus suis*<sup>1</sup>, et Legislator sapientissimus qui successoribus suis humilitatem caritatemque docet: *qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus*<sup>2</sup>; qui apostolos Samariam corrigere impatientes redarguit: *Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare*<sup>3</sup>. — Ineunte passionis tempore, postquam ut vigilarent et horarent bis frustra monuisset Apostolos, cumque eos tertio dormientes invenisset, *ut tanquam ad suscipiendam correptionem inhabiles redarguere noluit*<sup>4</sup>. — Zacheum, Levi, aliosque urbane domus eorum ingressus convertit; cum Magdalenam sinit sibi appropinquari eius cor attigit, atque defendit. Taediosis Samaritanae quaestionibus audivit pie, illudque *si scires donum Dei*<sup>5</sup> respondit, quod eius in animo gratiae donum suscitavit. Cum adultera accusatores audivit ac ream interrogavit: cognita vero Phariseorum perfidia eos condemnavit, et ad peccatricem conversus, eam non corripuit, sed eius decori satis fecisse arbitratus, dixit: *Vade et iam amplius noli peccare*<sup>6</sup>. — Neque eundem tamen semper et cum omnibus correptionis modum Ipse adhibuit: extraneos, enim, increpuit, aiens: *Generatio incredula et perversa*<sup>7</sup>, et ad amicos inquit: *hoc genus non eiicitur nisi per orationem et ieiunium*<sup>8</sup>. Cum auriculam Malchi abscondens praesumptione nimia in horto peccaret Petrus, eum aspere redarguit; cum vero infirmitate in praetorio cecidisset, suavi tantum oculorum intuitu corripuit, ac, non obstante eius periurio, in Ecclesiae caput ac angularem petram eum eligit. Et ut proditorem sospitaret Iudam, quid Iesus neglexit? Non modo ab apostolico Senatu eum non eiicit, neque eius e manibus crumenam eripuit, vel sua in eum anathemata intulit, sed proditorem eius dissimulavit et insidias, ei ministravit et pedes lavit, ad suam mensam admisit, novae legis sacerdotio eum honestavit, amicum vocavit, eum admonuit, suaviter amplexatus est et deosculatus. — Ut Jerusalem Iesus ad poenitentiam provocaret, eam visitavit, docuit, prodigiorum suorum testimonium elexit, infortunia ei prophetavit, atque super eam amare flevit et, flendo, amavit! Tandem, suo in passionis infando dolorum aequore, non iram et ultionem, sed veniam in suos inimicos a Patre impetravit, aiens: *dimitte illis, non enim, sciunt quid faciunt*<sup>9</sup>. In suarum aerumnarum pelago de boni latroni salute sollicitus, coelestis Patriae ianuam illi ape-

<sup>1</sup> Id. X, 11.

<sup>2</sup> Matth. XX, 27.

<sup>3</sup> Luc. IX, 45.

<sup>4</sup> S. Laurent. Iustin., *De Triumph. Christi*, cap. 6.

<sup>5</sup> Ioann. XV, 10.

<sup>6</sup> Id. VIII, 11.

<sup>7</sup> Matth. XVII, 16.

<sup>8</sup> Id. XVII, 20.

<sup>9</sup> Luc. XXXIII, 34.

ruit, dicens: *hodie mecum eris in Paradiso*<sup>1</sup>, quo ille *de fauce diaboli ascendit crucem, de cruce paradisum*<sup>2</sup>. — Haec praeclarissima Eius [in filii prodigi parabolam mirabiliter coarcervata] divina exempla sunt, quos Pastores imitari omnino decet, ut quem in exilio sequuti sunt ducem, et Sancta in Patria habeant remuneratorem. Amor, solatium, caritas Iesus vita fuit, quae Pastorum omnium tuta norma esse debet. *Omnis enarratio tua in praecipis Altissimi*<sup>3</sup>.

152. — Conclusionis ergo ut Pastor bonus in suorum filiorum correctione iustitiae fundamentum habeat, eius directio discretio, inspiratrix caritas sit quam maxime optandum est. Hisce, enim, adiumentis tantum, correctionis finem assequetur ipse, et quos ab errore redimit, in Ecclesiae bonum ac emolumentum, per caritatis iustitiaeque semitas, incedere docebit. *Adhibeantur poenae, non recuso, non interdico: sed animo amantis, animo diligentis, animo corrigentis; omnia haec in caritate fiant*<sup>4</sup>, *quoniam charitas nec facit peccatum, et operit multitudinem peccatorum*<sup>5</sup>. Quam saluberrimam artem Bonus ille Samaritanus nos docere ac, Gratia Sua, cumulare quam uberrime misericorditer dignetur!

### Articulus III.

#### DE AEMULATIONE FOVENDA.

Negativa superioris iustitiae parte [si ita loqui fas est] indigitata, ut ad positivam illustrandam accedamus rectus tractationis ordo iubet. Media vero ad rem in praemiis continentur quae, pressius, in paroeciae regimine quod spectat, in fidelium laude, indigitari possunt: de qua breviter agendum.

#### § I. — De laude ad aemulationem pastorali in regimine fovendam.

SUMMAE RERUM. — 153. Animadversiones praeviae — 154. Quae laudis conditiones sint.

153. — Primum, commune, at praevalidum ad aemulationem fovendam medium laus est, qua de beneactis subditi remunerantur, et ad melius agendum incitantur. Diligens, idcirco, Pastor laudibus im primis alere

<sup>1</sup> Luc. XXXIII, 43.

<sup>2</sup> S. Augustin., Serm. XIV. *De Vers.*

XIV.

<sup>3</sup> *Eccles.* IX, 28.

<sup>4</sup> S. Augustin. in conclus. tract. *De corrept.*

<sup>5</sup> *I. Petr.* IV, 8.

studebit filios: nam nemo tam miserae abiectaeque sortis est ut non laudis amore capiatur. *Omnes mortale sese laudari optant*<sup>1</sup> Ennius cecinit; et *honos alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloria, iacentque ea semper quae apud quosque improbantur*<sup>2</sup>. Non sunt, igitur, [quod aliqui iactant] omnium laudes fugiendae, quae, plerumque, fomes quidam atque esca virtutis, calcar quoque bene sancteque vivendi sunt. Solidari, enim, ita saepius infirmiores animi solent cum se a maioribus curari magnique fieri intelligunt, et ut uberiores quoque assequantur amplioresque laudes, observantiae studio magis virtute sua sponte incenduntur. — Suscitabitur, insuper, inter christifideles honesta quaedam aemulatio, quae et negligentioribus simul ingeniis proderit movebiturque alter alterius laude. Addent animum commendationes aliorum incutientque stimulos, ac quod pulchrum putabunt et superari etiam contendent, ac vincendi studio ducentur.

154. — Quum vero nil tam boni honestique in humanis sit quod in deteriorem partem haud verti possit, ne laus in fidelium animis tristes pariat effectus, opportune, lente, parce, distributive, ac sincere decernenda erit.

a) *Opportune* laude utendum est, nam si inopportune praebetur [quum omnium humanarum actionum maior boni pars in earum opportunitate contineatur] in venenum medicina commutabitur. Idcirco fidelium aetas, temperamentum, tum animi, tum corporis peculiare conditiones, quomodo cum coeteris actu quis se habeat ac si quid aliud spectetur, et in laudando et praesentis et acti temporis eius generales circumstantiae prae oculis habeantur.

b) *Lente* diximus laudandum, nam si secus omnis laudis optatus fructus miserrime disperditur. In superbiam, enim, humanam efferre naturam laudationis est, qua bene acta omnia, in malefacta miserrime commutantur, et imbecillum mortalium animus ad deteriora validissime defertur. Quod ne contingat, antequam laude quis donetur, genuina eius humilitas sedulo perpendatur. Enimvero *praedicator Sanctae Ecclesiae virtutem subiecti disponere sapienter debet, ut coram eo bona eius non laudet nisi quando laudis suae contemnere favorem potest*<sup>3</sup>. — Insuper dum laus tribuitur [ne humilitas amittatur], aliqui fidelis defectus prudenter recenseantur, sicque, modestia sed non superbia duce, encomii finem Pastor assequetur.

c) *Parce* laudem tribuendam esse monuimus; nam quum haud multa hominum acta laudem mereantur, qui omnia laudat, potius adu-

<sup>1</sup> *Epigram.* X.

<sup>2</sup> Cicero, *Pro Archia.*

<sup>3</sup> S. Greg. in I. *Reg.* Lib. IV, cap. 5.